

DISSERTATIONEM BOTANICO-MEDICAM.

DE

RUBO

VENIA EXP. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

CAROL. P. THUNBERG

EQUITE AURAT. REG. ORD. DE VASA,

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB.  
HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LOND. HOLM.  
AGRIC. SOCIET. SCIENT. UPS. PHILAD. PATR. HOLM. ET CIV. OECON. FINL. BEROL.  
NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALENS. HIST. NAT. GORENKENS.  
LUND. HARLEM. AMSTELD. OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS.  
TICINENS. IENENS. LINN. LONDIN. REG. SCIENT. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖT-  
TINGENS. WETTER. NANCIENS. MED. PARIS. EMUL. MONSPEL. MED. MA-  
TRITENS. MEDIC. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP. MEDICO-  
CHIR. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET INSTITUT. NATION.  
MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET  
BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PROPONIT

J. P. ÖSTMARK

ROSLAGUS.

IN AUDIT. BOTANICO D. XII JUN. MDCCCXIII.

H. A. M. S.

UPSALIÆ

EXCUDERANT STENHAMMAR ET PALMBLAD

REG. ACAD. TYPOGR.

KONUNGENS TROTJENARE

ASSESSOREN OCH RIDDAREN AF KONGL.

WASA - ORDEN

HÖGÅDLE

HERR G. JACOB DE MARÉ

OCH

HÖGÄDLA FRUN

FRU EMERENTIA DE MARÉ

*född* HOPPENSTEDT

*vördnadsfullt tillegnadt*

*af*


J. P. ÖSTMARK

*Deras*

UPSALE

Ödmjukaste tjenare

J. P. ÖSTMARK.



§. 1.

Rubi a variis Auctoribus commemoratae sunt numero-  
sae Species, quas tamen omnes nobis non contigit vel  
videre vel accuratori subicere examini. Nonnullis in  
plura genera dividere quoque illas perplacuit. Alii a  
foliis indivisis vel partitis, alii a caule frutescente vel her-  
baceo, alii a diversa inflorescentia amplissimi generis  
subdivisiones instituerunt et Specierum characteres assum-  
serunt.

§. 2.

*Dignoscitur Genus caractere imprimis sequente:*

*Perianthio Monophyllo, quinquesido.*

*Corolla pentapetala, petalis patentibus.*

*Filamentis numerosis, calyci insertis.*

*Germinibus plurimis, conglomeratis.*

*Stylis capillaribus, e latere Germinum ortis.*

*Stigmatibus simplicibus, persistentibus.*

*Baccis compositis: Acinis capitatis, unitis, succulentis.*

*Seminibus solitariis.*

*Locus Systematicus erit in Icosandria, Polygynia.*

Obs. *Fructus* singularis, *Baccam* quidem referens, compo-  
situs e plurimis *baccis* seu *acinis*, monospermis, vix ve-  
re *baccatus* dici potest; verum proprium nomen mereri

A

vide-

videtur; sæpius pulposus occurrit fructus, nonnunquam vero, ut in *Dalibarda* magis ficans evadit.

## §. 3.

## Specierum Characteres.

## \* Foliis simplicibus:

1. *Dalibarda*: foliis cordatis crenatis, scapo unifloro.
2. *moluccanus*: foliis cordatis lobatis, caule decumbente aculeato.
3. *Chamæmorus*: foliis cordatis lobatis, caule erecto inermi.
4. *japonicus*: foliis cordatis oblongis acuminatis ferratis, pedunculis solitariis unifloris.
5. *pyrifolius*: foliis ovalibus acuminatis ferratis glabris, caule paniculato aculeato.
6. *multiflorus*: foliis ovatis acutis dentatis glabris, panícula patenti.
7. *corchorifolius*: foliis cordatis oblongis ferratis, caule aculeato, pedunculis solitariis unifloris.
8. *elongatus*: foliis cordatis acuminatis duplicato-crenatis subtus tomentosis, caule aculeato.
9. *incisus*: foliis cordatis indivisis incisiss glabris, caule aculeato.
10. *stellatus*: foliis cordatis trilobis rugoso-venosis, caule inermi unifloro erecto.
11. *trifidus*: foliis inciso-trifidis glabris; lobis incisiss ferratis, caule inermi.

12. *odoratus*: foliis angulatis lobatis ferratis glabris, caule inermi, pedunculis hispidis.
13. *indicus*: foliis lobatis dentatis subtus tomentosus, caule petiolis pedunculisque aculeatis.
14. *palmatus*: foliis cordatis lobatis acuminatis glabris, caule aculeato.
15. *dissectus*: foliis inciso-lobatis ferratis subtus tomentosus, caule aculeato.

## \* \* Foliis ternatis.

16. *geoides*: foliis simplicibus ternatisque ferratis glabris, foliolo impari maximo.
17. *decumbens*: foliis simplicibus ternatisque ferratis aculeatis, caule decumbente aculeato.
18. *ternatus*: foliis ternatis incisus glabris, caule unifloro subaphyllo.
19. *arcticus*: foliis ternatis ferratis, caule unifloro folioso.
20. *saxatilis*: foliis ternatis ferratis, caule sarmentoso.
21. *tomentosus*: foliis ternatis obovatis acutis dentatis tomentosus, lateralibus subincisus.
22. *parvifolius*: foliis ternatis subtus tomentosus, caule hirto petiolisque aculeatis.
23. *hispidus*: foliis ternatis dentatis glabris, caule aculeato.
24. *caesus*: foliis ternatis subnudis: lateralibus bilobis, caule aculeato.

25. *triphyllus*: foliis ternatis subtus tomentosis: foliolis ovatis incisif dentatis, rarius aculeatis villosis.
26. *chinensis*: foliis ternatis curvatis subtus tomentosis dentatis, caule ramisque aculeatis glabris.
27. *occidentalis*: foliis ternatis subtus tomentosis, petiolis pedunculisque aculeatis.
28. *svaveolens*: foliis ternatis inciso-sublobatis subtus tomentosis, caule inermit.

## \* \* \* Foliis quinatis.

29. *idaeus*: foliis quinato-pinnatis ternatisque subtus tomentosis, caule aculeato.
30. *pedatus*: foliis pedato-quinatis incisif, pedunculis medio bracteatis.
31. *australis*: foliis quinatis ternatisque glabris, caule aculeato, racemis axillaribus.
32. *pinnatus*: foliis quinato-pinnatis ternatisque rugosis glabris, caule aculeato, racemo terminali.
33. *fruticosus*: foliis quinatis ternatisque subtus pilosis, caule aculeato.
34. *inermis*: foliis quinatis ternatisque, caule inermit.
35. *villosus*: foliis quinatis ellipticis acuminatis ferratis villosis, caule aculeato.
36. *jamaicensis*: foliis quinatis ternatisque subtus villosis, caule aculeato, panicula composita.

37. *sanctus*: foliis quinatis ternatisque subtus tomentosis, caule aculeato, panicula simplici.

38. *canadensis*: foliis digitatis denis-quinis ternatisque, caule inermi.

\* \* \* \* Foliis pinnatis.

39. *rosafolius*: foliis pinnatis ternatisque glabris, caule aculeato, floribus solitariis, pedunculis villosis.

40. *hirsutus*: foliis pinnatis hirsutis, caule inermi, petiolis aculeatis.

41. *niveus*: foliis pinnatis subtus albo-tomentosis, caule petiolisque aculeatis.

§. 4.

### Descriptio Specierum Novarum.

#### 1. *Rubus multiflorus*.

Caulis fruticosus, flexuoso-erectus, glaber, aculeatus, ramosus.

Rami alterni, patentes, cauli similes. Folia sparsa, petiolata, indivisa, oblonga, acuta, denticulata, utrinque glabra, pollicaria et ultra. Petioli vix unguiculares.

Florum panicula decomposita, patens, tomentosa.

#### 2. *Rubus indicus*.

Caulis fruticosus, teres, villosito-tomentosus, flexuoso-erectus, simplex, aculeatus.

Folia

Folia alterna, petiolata, cordata, lobata lobis quinis vel septem, dentata, supra glabra, subtus aculeata et tomentosa, palmaria et ultra.

Petoli teretes, tomentosi, aculeati, digitales. Pedunculi axillares, tomentosi, subaculeati, longitudine petiolorum.

Flores racemosi.

Calyx tomentosus.

Stipulae et bractae pinnato-capillares, villosae.

### 3. *Rubus ternatus.*

Caulis herbaceus, glaber, inermis, erectus, palmaris.

Folia radicalia, ternata, petiolata; Foliola ovata, dentata, unguicularia; caulina sessilia, sub-flore.

Flos terminalis, solitarius, luteus. Ad Dalibardam referunt nonnulli Botanici, ob fructum minus pulposum.

### 4. *Rubus chinensis.*

Caulis fruticosus, teres, glaber, aculeatus.

Rami alterni, secundi, aculeati.

Folia alterna, petiolata, ternata: Foliola subtriangularia, medio petiolato majori; incisa, denticulata, supra glabra, subtus niveo-tomentosa, unguicularia.

Petoli aculeati, unguiculares.

Flores terminales, subracemosi.

5. Ru?



) 9 (

5. *Rubus niveus.*

Caulis fruticosus, teres, erectus, fusco-rufescens, aculeatus, simplex.

Folia alterna, pinnata cum impari, bijuga et trijuga, patentia. Pinnæ oppositæ subsessiles, ovatæ, acutæ, ferratæ, supra glabræ, subtus niveo-tomentosæ et venosæ, pollicares.

Petioli teretes, patentés, aculeati aculeis recurvis.

Flores axillares, subsolitarii et racemosi. Calyx tomentosus.

6. *Rubus inermis.*

Caulis suffruticosus, angulatus, inermis.

FOLIA inferiora quinata, superiora quaterna et terna; foliola ovata, acuminata, duplicato-ferrata, utrinque glabra, terminali paulo majori et longius petiolato, infimis brevissime petiolatis.

Petiolus communis foliolis brevior.

Flores paniculati, panicula terminali subracemosa.

Calyx extus albo-tomentosus.

§ 5.

*Locus crescendi.*

In *America meridionali*, ut *Jamaica*: *jamaicensis*, in *America boreali*, *Canada* imprimis: *occidentalis*, *hispidus*, *villosus*, *canadensis*, *odoratus*, *pedatus*, *stellatus*, *dalibarda*, *arcticus*, *decumbens*, *idaeus*. In *Asia*, ut in *Palæstina*, *Creta*, *Tauria*, *sanctus*. In *Asia et India Orientali*, ut in *Insula Mauritii*, *rosæfolius*; in *Insula Java*, *Amboina*, *Ceilona*,

*moluccanus, parviflorus, rosæfolius, elongatus, pyrifolius;*  
 in Insulis Japonicis *occidentalis, hirsutus, triphyllus,*  
*microphyllus, incisus, japonicus, cæsius, corchorifolius,*  
*trifidus, moluccanus.* In Siberia *chamæmorus, arcticus.* In  
 Nova Zelandia, *australis,* et freto magellanico, *geoides.*  
 In Europæ variis tractibus *idæus, tomentosus, cæsius, fruti-*  
*cosus, saxatilis, chamæmorus, arcticus.* In China *chinensis,*  
*dissectus.*

## §. 6.

*Synonyma.*

Wilden. Spec. Plant. Tom. 2. P. 2. *rosæfolius* p.  
 1080. *pinnatus, australis, idæus,* p. 1081. *occidentalis, tri-*  
*phyllus* p. 1082. *tomentosus, hispidus, parvifolius, fan-*  
*ctus,* p. 1083. *jamaicensis, cæsius, fruticosus,* p. 1084.  
*villosus, canadensis, odoratus* p. 1085. *moluccanus, mi-*  
*crophyllus, incisus.* p. 1086. *japonicus, corchorifolius,*  
*elongatus.* p. 1087. *pyrifolius, pedatus, saxatilis, arcticus.*  
 p. 1088. *trifidus, stellatus, geoides,* p. 1089. *chamæmo-*  
*rus, dalibarda,* p. 1090. *Rubus cæsius Japonicis dicitur:*  
 Quanso Itfigo.

## §. 7.

*Usus medicus et oeconomicus.*

Ruborum genus baccas producit, quæ, quamvis aliæ  
 magis, aliæ minus placeant palato, edules tamen sunt  
 omnes. Habent etiam aliquid inter se commune, præ-  
 betque genus illud suum aliquid ad probandam, quam  
 multi tenent, sententiam, inesse scilicet plantis, quæ in  
 botanicis sunt affines, in medicis etiam similem quandam  
 atque cognatam virtutem. Diversa inter baccarum, quæ  
 sub septentrionali coelo crescunt, genera, in primis nu-  
 mera-

meramus' varias Ruborum species, quæ in boreorum sunt deliciis.

*Rubus arcticus* baccis inter omnes excellit gratissimis. Præter jucundum enim, quo sese commendant, saporem, placent etiam forma pulcherrima odorisque, quem spargunt, illecebris, quæ iis, quibus recenti frui non licuit fructu, maximæ sunt voluptati. Exprimuntur ex his baccis suavissimi saporis vinum, cujus præparandi modus plene describitur in *Svensk Botanik* Vol. I. N. 26. Conditæ etiam valde sunt gratæ, cujusmodi in pharmaceuticis nostris prostant officinis. Majori quidem, quæ insigne quiddam habeat et singulare, virtute carent speciali, sed ad impertiendum aliis medicamentis saporem gratiorem valde sunt utiles.

*Rubus arcticus* respuit culturam, quam in pluribus meridionalis Sveciæ locis tentarunt, nec baccas ejus versus meridiem longius, quam in urbe Westervik, et ibi quoque parcas, maturescere vidimus.

*Rubus idæus* secundo a *Rubo arctico* pretio æstimatur. Ubique per omnem crescit Sveciam, maxime vero frequens in scopulosis insulis. Crudæ vulgo eduntur baccæ, sed immodice non sunt vescendæ, quoniam diarrhoeam facile movent. Albi, qui in hortis vulgo coluntur, Rubi tam jucunde non sapiunt, quam sine cultu crescentes rubri. E baccis præparatur mullum, vinum, acetum et conditium quoddam edulium. Præparandi ratio proponitur in RETZII *Flora oeconomica* Sveciæ Tom. II. p. 621 & 622. Succus expressus et in vasis bene opertis reservatus valde jucundum præbet, si aquæ admiscetur, potum æstivum, qui ut refrigerans febri-

febricitantibus etiam bene propinatur. Syrupus Rubi idæi, qui suum in pharmacopoea Svecica locum obtinuit, aptum est in multis præparatis pharmaceuticis corrigens.

*Rubus chamæmorus* minoris quam priores æstimatur. Baccæ recentes sunt aquosæ et refrigerantes; conditæ vero gratiorem habent saporem magnique a multis æstimantur. Succus expressus ad *gelatinam* adhibetur. Ex his quoque vinum præparatur. Lappones easdem nive repositas servant atque cum lacte una comedunt. — Hujus quoque herbæ baccæ conditæ prostant in officinis, sed raro adhibentur.

*Rubus cæsius* et *Rubus fruticosus* magnam inter se saporis affinitatem habent. Acore quidem superant priores, sed bene maturatæ valde sunt gratæ. Baccæ *Rubi fruticosi* quam *cæsi* magis sunt acidulæ. Conditæ ambæ hæ species admodum sunt svaves, nec ex his quoque vinum exprimere omisit sedulitas humana. Exteris in terris comburi dicitur caudex *Rubi fruticosi* ad carbones, ex quibus deinde præparatur pulvis pyrius. Varians hujus fruticis species, duplicibus eadem floribus ornata, in hortis ob suam, qua superbit, pulcritudinem colitur.

*Rubus saxatilis* Svecanas inter species minime gratas producit baccas, quibus haud quidem ingratus inest acor, sed tantos habent nucleos, ut ab aliis nisi pueris raro comedantur.

Foliis indigenarum nostratium specierum vescuntur, minus quamvis appetentes, boves, oves et capræ.

---



*Rubus* 1 *multiflorus*. 2 *chinensis*. 3 *niveus*.